

Laer. L. 5. n. 110. Idem dicit, si nimis molestum foret continuo positive resistere: quod utique esset, quando diu tentatio durat, vel si ideo esset necessarium omittere actionem aliquam honestam, v. g. studium, confessionis auditionem, &c. maxime, si opus agendum esset natura sua talis concupiscentiae excitativum: nam tunc non teneretur quis illud omittere propter concupiscentiam suborituram. *Sanch. Suar. Taner. & alii apud Lacroix, L. 4. n. 110. & seqq.* ubi videti oportet.

199 Sed quia ejusmodi motus, & delectationes nobis illam retributionem impendant, quam (juxta vulgare proverbium) *mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu suis consueverunt hospitibus exhibere.* Ut de Judaeis dicitur in *e. 13. de Judaeis.* Ideo castitatis amator non solum culpam, sed etiam ejus umbram in hac materia perhorrescere debet: ac proinde cum vehemens urgeat tentatio non debet eam gestu faciei, nec vocis strepitu; nec distorsione vultus repellere, sed corde ad Deum, B. Virginem, & Sanctos erecto clamare humiliter debet dicendo: *Domi-*

*Dum licet, & modici tangunt praecordia motus,
Si piget, in primo limine, siste pedem,
Principiis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras,
Sed propera, nec te venturas differ in horas.
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.
Interea tacite serpunt in viscera flammæ,
Et mala radices altius arbor agit.
Dura aliquis praecepta vocet mea, dura fatemur,
Ecce: sed ut valeas, multa dolenda feres.
Ut corpus redimas, ferrum patieris, & ignem,
Arida nec sitiens ora lavabis aqua.
Ut valeas animo, quidquam tolerare negabis?
At pretium pars haec corpore majus habet.*

Sanè in hanc materia nulla cautella est nimia, praecipue ei, qui in utriusque Indiae Regnis residet: Nam & hunc innata libido

ne vim patitur: Deus adjuva me: Et ne nos inducas in tentationem: ne permittas, me separari à te. Confige timore tuo carnes meas: In te Domine speravi, non confundar in aeternum. Et simul ad B. Virginem se convertendo dicat. *Virgo singularis, inter omnes mitis, non culpis soluta, mitis fac, & castos. Sub tuam praesidium, &c. Memorare o piissima Virgo, non esse auditum à saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantem suffragia esse devotum. Ego tali animatus confidentia, ad te Virgo Virginum ad te curro, ad te venio, coram te gemens peccator assisto, noli Mater Verbi verba mea despiciere, sed audi propitia, & exaudi. Debetque imaginationem ad alia divertere, aliquam occupationem suscipere, ut otium, quod est harum cogitationum infelix sentina, fecundissimumque Seminarium, avertatur: imò, & oportet, & aliqua maceratione quasi frano indomitum carnis equum cohibere. Denique optimum remedium est occasiones vitare. Contra libidinis impetus, ait Augustinus, apprehende fugam si vis obtinere victoriam. Ita omnes Sancti Patres, quin & etiam Ethnici clamant.*

stimulat, primumque genus Regionibus istis in venerem est flagrat vitio gentisque, tuo quo.

*De Raptoribus, Incendiariis,
& violatoribus Eccle-
siarum.*

200 **I**nter Raptores, de quibus in praesenti, alii sunt, qui mulieres rapiunt: alii, qui res, & bona surripiunt. Et quidem mulieres rapiunt, vel causa libidinis, vel matrimonii, & eorum delictum dicitur *raptus*, qui inter impedimenta matrimonii dirimentia numeratur: & de tali impedimento egimus in *tit. de Spons. & Matr.* & potest definiri sic: *Est violenta abductio mulieris honestae cujuscunque status sit: vel etiam masculi, de loco in locum moraliter diversum causa exercendi libidinem, vel etiam contrahendi conjugium.* *L. un. C. de Rapt. Virg. L. 1. tit. 20. p. 7.* Hinc est, quod si mulier rapta sit vite inhonestae; v. g. publica meretrix, & quidem soluta, non committitur raptus: nam hic requirit violentiam, & publica meretrix non praesumitur violentiam pati: potest tamen fieri raptus consentiente puella, si fiat, invitis ejus parentibus, & causa libidinis exercendae; & quamvis copula postea non sequatur cum rapta, adhuc crimen raptus committitur, si abducatur de loco in locum moraliter diversum. Quod si de uno cubiculo ad aliud, vel de via publica per aliquot passus abducatur, non raptus, sed stuprum erit, quoad poenas incurrendas. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 12. n. 20.* Raptus poena mortis punitur: imò si in raptu deprehendebatur raptor à cognatis puellae poterat impune occidi. *L. un. C. de Rapt. Virg.* In nostra Hispania rapiens viduam honestam, aut Virginem, aut nuptam, aut Religiosam: imò & propriam sponsam de futuro poena quidem mortis plectitur, quam etiam incurrit scienter auxilium praestantes: quod si rapta erat Monialis, etiam bona rapiens applicantur Monasterio unde raptor eam extraxit. Rapiens autem aliam à praedictis punitur arbitrio Judicis juxta temporis, loci, & personarum circumstantias. *L. fin. tit. 20. p. 7. & ibid. Greg. Lop.* Si raptus in eremo committatur poena sagittae punitur, nam pertinet ad Judices, quos dicimus *de la Hermandad.* *L. 2. tit. 13. lib. 8. R. C.* quae poenae locum

habent in solo conatu ad actus externos deducto, etiamsi raptus non perficiatur. *L. 2. tit. 13. p. 7. Gonzal. in C. fin. b. tit. num. 5.*

201 Alii sunt raptores rerum: & eorum delictum dicitur rapina, quae late accepta significat quamcumque usurpationem illicitam, *cap. 10. 14. q. 4.* Sed proprie accepta sic definitur: *Est ablatio injusta rei aliene mobilis, aut se moventis per vim facta.* *L. 1. C. de Vi honor. rapt. L. 1. tit. 13. p. 7. ibi: Rapina en latin tanto quiere decir en romance, como robo, que los homes facen en las cosas ajenas, que son muebles.* Dicitur *L. 1. ablatio*: hinc, qui nihil aufert, licet alteri damnum in bonis inferat ea destruendo, non committit rapinam: 2. *Injusta*: nam si quis auctoritate legitimi Magistratus, vel in bello justo, vel in necessitate extrema rem capit alienam, etiam violentè, cum non auferat injustè, rapinam non committit: 3. *Rei*: nam qui mulierem honestam libidinis causa abducit, non rapinam, sed raptum committit. Similiter, qui personam liberam, vel servam, ex alia causa furantur, talesque personas vendunt, vel fugere à suis parentibus, vel Dominis suadent, plagium, non rapinam committunt: 4. *Aliene*: in rapina enim duplex inferitur injuria: nam res propria alicui aufertur, & aufertur violentè. Hinc, qui rem apud alium consistentem violentè aufert, si in ea dominium habeat, illud amittit, si non habet dominium, rem, & ejus aestimationem tenetur praestare, §. 1. *Inst. de Vi honor. raptor. L. 7. C. Undè vi*, quia nulli licet propria auctoritate jus sibi dicere, & rem, etiam propriam, usurpare spretis juris ordine, & auctoritate publica: nam ex hoc publica pax, & tranquillitas turbaretur. *L. 176. ff. de Reg. jur. Molin. de Just. tr. 2. D. 683. n. 3. Gonzal. in cap. 2. b. t. 5. Mobilis, aut se moventis*, sive talis res sit pecunia, vel vestis, vel alia, magis, vel parvi pretii: nam in rapina, non tam noxa, quam violatio publicae securitatis attenditur. Nec sufficit, res ablatas suo domino restituisse: nam jam, est violata publica securitas. Qui alium à suo praedio dejicit, non rapinam committit, cum res sit immobilis, sed invasionem, daturque contra ipsum, non actio vi bonorum raptorum, sed interdictum: *Undè vi, vel conductio triticaria*, vel judicium publicum Legis Juliae. *L. 1. C. Vi honor. raptor. L. 1. §. 3. ff. de Vi, & vi armat. Gonzal. in cap. 2. b. t. n. 10. 6. Per vim facta:*

per

per hoc differt rapina à furto, cui rapina vim superaddit, siue vis fiat armis, siue sine illis, siue fiat in publica via, siue in domo; imò etiamsi nulla vis actu inferatur, si raptor paratus sit eam inferre, si resistatur, nam semper publica violatur securitas. *L. 2. §. 2. ff. de Vi bonor. raptor.*

202 Rapinam committens, de Jure Canonico, excommunicatur, *cap. 1. b. t.* & quidem ab Episcopo loci, ubi delictum est commissum, etiamsi delinquens sit alterius Diocesis: nam cum in loco delicti maximè Respublica laturatur, ibi latio reparanda est per infictionem poenae. *Gonz. in cap. 1. b. tit.* Nec à tali excommunicatione per iudicem lata est reus absolvendus, nisi plene satisfecerit, vel de satisfaciendo caveat, *cap. 1. b. t.* Si enim satisfaciatur, vel de satisfaciendo caveat in vita, vel in morte admittitur, ad poenitentiam, & sepulturam, *cap. 2. b. t.* quia Ecclesia numquam gremium claudit redeuntis, *cap. 1. 23. q. 6.* si raptor non satisfaciatur, vel in ipsa depradatione occidatur, sepultura Ecclesiastica, & suffragiis publicis fidelium, tamquam in peccato mortali decedens, privatur, *cap. 2. b. t. cap. 2. de Furt.* Si verò in vita noluit satisfacere, cum posset, & in morte, cum vellet, non posset satisfacere, ad poenitentiam admittitur, sepultura tamen Ecclesiastica, vel absolute negatur, ad aliorum terrorem, & exemplum, vel saltem negatur solemnitas in sepeliendo, ita ut Clerici nequeant assistere: quod si Clerici intersint sepulturae, vel contra hanc dispositionem poenitentiam injungant, ab officio, & beneficio deponuntur, *cap. 2. b. t.* ut puniantur in quo delinquerunt. *Barb. & Gonz. in cap. 2. b. t.* Latrones publici, & Grassatores viarum, tamquam indigni sacro asylo priuantur: Unde si ad Ecclesiam confugiant, possunt inde vi extrahi, *cap. 6. 17. q. 4. cap. 6. de Immunit. Eccl. Greg. XIV. in Const. Cum alias 28. Maii 1591. L. 5. tit. 2. lib. 1. R. C. & ibid. Accordo.*

203 De Jure Civili contra raptorem civiliter conventum datur actio Prætoriana vi bonorum raptorum, quæ est personalis, & mixta, qua quis persequitur rei violentè ablatam quadruplum, cui simplum inest: itaque quoad rei persecutionem, quæ ad simplum terminatur, est perpetua, quoad triplum, simpli superadditum, est poenalis, & anno finitur. *Princ. Inst. de Vi bonor. raptor. L. 3. tit. 13. p. 7.* In foro conscientiae rem violentè

auferens, etiam intra annum, solum ad simplum restituendum tenetur, si res extet, vel si non extet astinationem præstabit, cum refusione damni emergentis, & lucri ex ablatione cessantis. Ad quadruplum verò, solum post sententiam tenetur, & quidem tunc, etiam in foro conscientiae. Poena criminalis in raptores rapinam cum armis exercentes erat deportatio ex Lege Julia de vi publica: si exercebant rapinam sine armis, puniebantur Lege Julia de vi privata amissione tertiae partis bonorum, & dignitatis, honorisque omnis cum infamia. *§. 8. Inst. de Publ. judic.* Jure Hispano poena criminalis rapinae est eadem, qua latrones male fame puniuntur, ut notat *Greg. Lop. in L. 3. tit. 13. p. 7.* In Bulla Coenae ipso facto excommunicantur Pyratæ, præcipue, qui mare ad Ditionem Pontificis pertinens infestant animo prædandi; non verò si animo bellum, etiam injustum, faciendi autoritate alicujus Principis discurrant, etiamsi casu, & incidenter aliquando prædantur. Nam Pyratæ dicuntur, qui sine alicujus Principis autoritate prædantur: in qua constitutione comprehenduntur omnes Pyratæ, etiam in aliis maribus animo prædandi discurrantibus, ut contra aliquos tenent *Suar. de Censur. D. 21. sect. 2. ex n. 18.* ubi concordat litteram *Bulle Greg. XIII. & Clem. VIII.* Latrunculi enim marini, qui etiam vocantur Cursores, *Hirpani: Corsarios,* dicuntur Græcæ Pyratæ à verbo *Pyr,* quod ignem significat, quia Pyratæ solent comburere Naves, quas capiunt. Hac sanè censura non ligantur Cursores, seu Pyratæ, qui bona diripiunt Maurorum, Turcarum, Infidelium, vel Hæreticorum: quia tales, cum sint Ecclesiæ hostes, non sunt digni, ut ab Ecclesia protegantur, *cap. 3. b. t.* Nec talis censura comprehendit consulentes, vel præbentes auxilium Pyratæ, si ipsi, non subripiant: nam cum de eis nihil exprimat Bulla, & sit Constitutio poenalis, non debet extendi. Sic *Suar. de Censur. D. 21. sect. 2. ex n. 18.* contra alios.

204 Qui bona Christianorum, qui passi sunt naufragium, subripiunt, & cum possent ea non restituerint, ipso jure excommunicantur, *cap. 3. b. tit. quin.* & hæc excommunicatio est, Pontifici reservata. Iniquum est enim, quod quis, etiam fiscus, de aliena calamitate lucrum sectetur. *Leg. 1. C. de Naufragiis.* Nec enim fas est, quod afflictis addatur afflictio, *cap. 5. de Cler. Egrot. L.*

L. 7. tit. 9. p. 5. ibi: Mandamos, que todas las cosas, que atri fueren echadas, que quien quier que las falle, que sea tenudo de las dar à aquellos, cuyas fueren, ó à sus herederos: è esto mismo decimos, que debe ser guardado si acciesse, que la Nave se quebrantasse por tormenta, ó de otra manera, que todo quanto pudiere ser fallado della, ó de las cosas, que eran en ella, ó quien que lo fallassen, que debe ser de aquellos, que lo perdiéron: fueras ende si tales cosas fuesen de los enemigos del Rey, ó del Reyno: Ca estonce, quien quier, que las falle, deben ser suyas. Idem dicitur in L. 9. tit. 10. lib. 7. R. C. nec ulla Lege nostri Regni fuit unquam jussum, naves fractas occupare, ut ex ignorantia, vel invidia hanc notam nostris Regibus impingit. *Gloss. in cap. 16. 1. q. 7.* Talis autem censura non comprehendit accipientes bona naufragantium. 1. Si res sit parvi momenti. 2. Si naufragantes sint hostes illius Nationis, à qua spoliantur: nam hæc occupatio jure belli cohonestatur. 3. Si ea acceperint, non animo usurpandi, sed animo ea restituendi Domino, quam primum, & sine mora; nam in mora constituti excommunicantur, *cap. 3. b. t. 4.* Si ea bona sint à Domino pro derelictis habita: secus, si tantum animo levandæ navis in mare sint projecta. 5. Si ignoretur, talia bona esse naufragantium. 6. Si tales res de sui natura statim periissent. *Suar. de Censur. D. 21. sect. 2. ex n. 26. Gonz. in cap. 3. b. t. n. 9. & seqq. Greg. Lop. & Acco. in dict. Legib.*

205 Incendium, à quo incendiarii dicuntur, & de quibus agit secunda Rubrica pars, est damnum, quod igne causatur, & potest hoc accidere. 1. Casu, & tunc quia culpa caret nullam metetur poenam, nec inducit obligationem damnum reparandi. 2. Potest accidere incendium, præcedente culpa lata, levi, vel levissima, & licet incendium, etiam culpa lata contingens poena ordinaria non puniatur, sed tantum extraordinaria; v. g. Relegationis, fustigationis, multa pecuniaria, vel alia poena arbitrio Judicis, siquidem in delictis culpa lata non equiparatur dolo. *L. 7. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* illud tamen causans tenetur in utroque foro ad reparationem damni, *capit. fin. de Injur.* Si verò culpa levi, vel levissima contingat, cum tunc non detur culpa Theologica, non tenetur illud causans, ante Judicis sententiam ad inter esse: secus post illam. *Molin. de Just. tr. 2. D. 698. num. 6. 3.* Potest incendium dolo

alicujus causari, quando scilicet, quis animo doloso, & deliberato, vel odio, vel desiderio vindicte, vel alicujus commodi consequendi, incendit oppida, ædificia, domus, segetes, vel bona aliena, vel ad hoc scienter præstat consilium, vel auxilium. Qui rem suam incendit, etiam si forte peccet, quia ea abutitur, non est incendiarius, nec poenis incendiariorum subjacet, nisi hoc faciat animo vicinorum ædes incendiendi, nec qui in bello justo, vel autoritate Judicis dolum alienam incendit, tenetur poenis in incendiarios statutis.

206 De Jure Canonico Laicus incendiarius dolo incendens Ecclesias, cæmeteria, aliaque sacra loca: & religiosa excommunicatur: non ipso jure, ut aliqui tenent; *arg. cap. 5. 17. q. 4.* Sed excommunicandus est. *Gonz. in cap. 5. b. t. num. 5.* Episcopus potest ab hæc censura, ante denuntiationem, absolvere: post denuntiationem tamen ab Ecclesia factam solus Papa absolvit, *cap. 19. de Sent. excom. Vid. Suar. de Cens. D. 22. ex n. 15. Gonz. in cap. 5. b. t.* Aliqui etiam tenent, quod incendens loca profana, ipso jure excommunicatur: sed verius est, quod, per sententiam sit excommunicandus, *cap. 31. cap. 32. 23. q. 8. Suar. & Gonz. ubi supr.* Sed siue incendat loca sacra, siue profana, debet damna resarcire, vel cautionem de eis resarciendis præstare, nec aliter admittitur ad poenitentiam, nec ad sepulturam Ecclesiasticam, *cap. 32. 23. q. 8.* & hæres tenentur ad reparationem damnorum, quantum facultates defuncti patiantur, *cap. 5. b. t.* In Clericis incendiarios nullam determinatam poenam Canones statuerunt: quia forte non credebant, tale crimen ab ipsis committi posse: & hinc hodie poena arbitraria infligitur, *Diaz Pract. Crim. capit. 109. & alii com.* Jure Civili antiquo incendium dolo commissum pro qualitate incendiarii, damni, & personarum plecebatur, vel exilio, vel verberatione, vel deportatione: imò, & morte delinquentis. *L. 9. L. fin. ff. de Incend.* In nostra Hispania incendiarius, ultra damni satisfactionem, morte punitur. *L. 6. tit. 12. lib. 8. R. C.* ibi: *Y si quemare casas, ó mieses á sabiendas, que muera por ello, y padezca la muerte, que debe padecer aquel, que mata á otro sin razon.* Imò, & olim, si incendiarius erat plebejus comburebatur, & quidem si in loco incendiarii apprehensus, ibidem vivus projiciebatur in ignem: si erat nobilis in perpetuum

tuum exilium mittebat. *L. 9. tit. 10. p. 7.* sed hodie hæc lex est abrogata per *Leges Novæ Recopilationis*, ut notat *Aceved.* *ibid. n. 15.* & insuper, non gaudet incendiarius immunitate Ecclesiastica. *L. 3. tit. 2. lib. 1. R. C. Gonz. in cap. 5. b. t. n. 5. & alii com.*

207 Quando incendium in aliquo loco, vel ade repente exurgit, de cuius auctore non constat postquam fiat inquisitio, casu foruito exortum præsumitur. *L. 23. ff. de Reg. jur. nec dolo excitatum censetur, cum hic non præsumatur. L. 51. ff. Pro socio, nisi perspicuis indicibus probetur. L. 6. C. de Dol. mal. nec culpa præsumitur excitatum, sed necessaria est aliqua probatio certa verè, vel præsumptivè; quæ saltem resultet, ex præsumptionibus, vel conjecturis moralem certitudinem facientibus; arg. cap. 9. de Præsumption. Paterfamilias, in cuius aede incendiarius habitabat; v. g. famulus, uxor, filius, vel extraneus, ad nihil teneretur, si talis famulus communiter erat habitus pro diligente, & fideli: vel si non fuit usus opera illius incendiarii, sed ipse extra officium sibi commissum causavit incendium, nam ex culpa famuli solum teneretur Paterfamilias, quando famulus in suo officio delinquit, & Paterfamilias sciens, illum esse negligentem, ad officium assumpsit. *Mascard. de Probat. concl. 894. n. 19. Farinac. Prax. Crim. q. 100. n. 115.**

208 Violatores Ecclesiarum, de quibus agit tertia Rubricæ pars, dicuntur, qui Ecclesias, vel alia loca Religiosa, & sacra violentè effringunt, ac spoliant. Hi enim excommunicationem lata sententia ipso facto incurunt; arg. cap. 22. de Sententia excommunic. ibi: Excommunicatos nuntietis. Et est Pontifici reservata. *Suar. de Censur. D. 22. sect. 2.* ad quam excommunicationem incurrendam debet simul, & copulativè fieri violentia, & spoliatio: nec sufficit violentia sine spoliatione, nec spoliatio sine effractione. Alii violatores sacrilegi citra effractionem; v. g. qui calicem furantur, sine violentia tamen effractione, non sunt ipso facto excommunicati, sed excommunicandi sunt, cap. 16. de Foro compet. *Suar. de Cens. D. 22. sect. 2.* Nec aliter ad poenitentiam admittuntur, quam si satisfacerent: quod si jam non possint satisfacere quamvis velint, ad Sacramenta admittuntur. Sed eorum sepultura Clerici prohibentur interesse, cap. 2. b. t. *ibidem, Barbus. & Gonz. Jure Civili antiquo ta-*

les violatores pro delicti qualitate, alisque circumstantiis puniebantur deporatione, exilio, damnatione ad metallum, vel ad bestias, vel morte: imò aliquando vivi comburentur. *L. 9. L. 10. ff. ad Leg. Jul. Pecul. L. 10. & Auth. Sed naxo, C. de Episc. & Cler. Et in L. fin. tit. 12. lib. 8. R. C. dicitur: Que les fagan pagar con el dolo lo que assi tomaren, y forasaren. Et notat *ibid. Aceved.* Quod hæc lex loquitur, cum deest effractio, & violentia: aliter enim non loqueretur, tam humaniter.*

TIT. XVIII.

De Furtis.

209 **F**urtum sic dicitur, vel a furto, quod nigrum significat, quia clam, & frequenter nocte fit, vel a fraude, quæ in furto intervenit, vel a ferendo: quia fur alii auferit, & sibi affert, vel a Græco sermone, quo Phor appellant fures, §. 2. *Inst. de Obligat. que ex delict. nascuntur. L. 1. ff. b. t. in rebus immobilibus, & incorporalibus, ut sunt agri, jura, actiones, & servitutes, cum non possint auferri, non committitur propriè furtum. L. 25. ff. b. t. Sed poius vi, vel dolo occupari dicuntur a TT. quidem sic definitur: Est occulta acceptio rei alienæ rationabiliter invito Domino. *D. Thom. 2. 2. q. 68. art. 3.* Juriste cum Justiniano in §. 1. *Inst. de Obligat. que ex delict.* sic definiunt: Furtum est contractatio fraudulosa lucrifaciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisvè, quod *Legge Naturali prohibetum est admittere. L. 1. tit. 14. p. 7. lib. Furto est malfetria, que facen los homes, que toman alguna cosa mueble agena encubiertamente, sin placer de su Señor, con intencion de ganar el Señorío, ó la possession, ó el uso de ella. Ut furtum commissum dicatur, hæc debent concurrere. 1. Ut res ablata sit corporalis, & mobilis. 2. Ut sit aliena. 3. Ut auferatur verè, & in effectu. 4. Ut ablatio fiat animo frauduloso, & lucrifaciendi causa. 5. Ut Dominus sit rationabiliter invitatus. Hinc, furtum non committitur in re purè incorporali: nequit enim contractari, cum tangi non possit, §. *Incorporales. Inst. de Rebus, corporal. & incorpor.* Jure Canonico, qui sine legitima institutione possidet beneficium Ecclesiasticum, vel retinet beneficium, quod per alterius ademptionem vacavit: quasi furtum committit. *cap.***

de Furtis.

cap. 54. de Elect. Qui verò mala fide fructus beneficii percipit, verè furtum committit. Præterea rei corporalis immobilis non potest fieri furtum. *L. 25. ff. b. t.* nam licet tangi possit, non tamen potest contractari, nec de loco in locum moveri. Ancilla verò à suo Domino fugiens, licet ab alio non contractetur, furtum committit sui, & partus sui, si forte prægnans sit: nam fuga sua ladt jus sui Domini, & ipsa fuga quasi contractatio, vel ablatio habetur. *L. 60. ff. b. t.* Nec in re propria, ut talis est, furtum potest committi: quilibet enim suæ rei est moderator, & arbiter. *L. 21. C. Mandat.* Eaque uti, vel abuti potest. *L. 25. §. 11. ff. de Hered. petit.* si verò alter jus aliquod in ea habeat, quale habet creditor in re sibi oppignorata, usufructuarius, usuarius, depositarius, commodatarius in rebus sibi concessis: Dominus, qui horum jus ladt, usum, vel possessionem contra illorum voluntatem auferendo, furtum committit, non quidem rei, sed possessionis, vel usus, §. *14. Inst. de Oblig. que ex delict.* *L. 12. L. 15. L. 40. L. 66. L. 79. ff. b. t.* Qui rem alienam bona fide, & probabili ratione credens, esse propriam, accipit, non committit furtum: imò, nec erit furtum, etsi sciat, alienam esse, credat tamen, Dominum contentum fore, etsi eam accipiat: quia talis contractatio sine fraude, imò bona fide fit. *L. 46. §. 7. ff. b. t. L. 1. tit. 14. p. 7.* Etiam Dominus verè invitatus sit: tenetur tamen restituere rem ratione rei acceptæ, vel quantum ex illa factus est ditior. *Molin. de Just. tr. 2. D. 684. n. 6.* Si tamen quis aliquid accipere, credens Dominum fore invitum, cum verè invitatus non esset, in foro conscientie reus est furti, secus in foro externo, §. *8. Inst. de Oblig. que ex delict.* Qui rem accipit Domino vidente, & non contradicente, cum possit, furtum non committit: siquidem Dominus non est invitatus; arg. *cap. 3. & 5. D. 83.* Si tamen taceat ex metu, vel reverentia, vel ex alia causa, furtum committitur. *L. 9. ff. b. t.* Qui animo furandi arcam effregit, si nihil abstulit, licet ex sola intentione reus furti coram Deo fiat, *cap. 29. de Penit. D. 1.* in foro tamen externo non habetur ut fur ex sola voluntate, vel conatu furandi, si in effectu non sequatur furtum. *L. 21. §. 7. ff. b. t.*

210 Occupans rem, quæ nullius est, vel quæ est habita à Domino pro derelicta, non committit furtum: quia talis

res primo occupantis fit, sicque talis occupatio non est fraudulosa, nec fieri potest Domino invito, quia non est Dominus, qui invitatus esse possit. *L. 43. §. 5. ff. b. t.* Si tamen auferatur res in mare ob vim tempestatis à Domino ejecta, furtum committitur: quia eam non habuit Dominus pro derelicta. Quia invenit rem in itinere, vel alibi, debet prius inquirere diligenter, quisnam sit Dominus rei inventæ, eam per præconem, vel ex Castris, vel aliter juxta morem loci publicando, & spectare tempore debito per arbitrium viri prudentis taxando juxta circumstantias. Quod si his diligentibus adhibitis non compareat Dominus, tanquam si res esset pro derelicta habita, potest inventor licet eam distrahere, & consumere. *Soto de Just. & jur. lib. 5. q. 3. art. 3. Castrop. tr. 31. D. un. p. 19. n. 4.* Si verò, diligentia debita non facta, inventor sibi rem inventam appropriavit, ut male fidei possessor furtum committit, & sic sunt intelligendi. *Textus in L. 43. §. 4. ff. b. t. cap. 6. cap. 814. q. 5.* Si quis accipiat rem hæreditatis jacentis, hoc est, tempore, quo adhuc hæreditas, vel non est addita, vel etiam addita sit, non est possessa ab hærede, furtum vere committit in foro conscientie: in foro tamen externo, ob Juris Civiliis subtilitatem, hoc crimen dicitur: *Expilate hereditatis, ex tit. ff. & C. de Expil. hered.* Si uxor de rebus mariti aliquid fraudulenter accipiat furtum committit, licet non actio furti, sed rerum amotarum ob reverentiam, & honestatem matrimonii detur. *L. 1. L. 2. ff. de Action. rer. amot.* Similiter liberi rem patris fraudulenter occupantes furtum committunt, licet actio furti patri adversus liberos non competat. *L. 16. ff. b. t.* qui non magis cum his, quos in potestate habemus, quam nobiscum ipsis agere possumus. Sed cum animus, & intentio distinguat delicta, qui causa joci aliquid usurpat, imò, & qui animo damnum, vel injuriam faciendi januam alicujus effringat, vel pecus occidat, vel comburat fructus, vel abducant ancillam, ad libidinem exercendam: si hæc non faciat animo lucrifaciendi, non committit furtum, licet alia delicta committat. *L. 39. ff. b. t. tit. 14. p. 7.*

211 Furti tenentur, non solum, qui per se ipsos furantur, sed etiam illi, qui sunt causa moralis efficiæ furti: tales sunt, qui mandant furtum, vel præstant auxilium furi effectu secuto, & non aliter, §. *11. Inst. de Obligat. que ex delict.*

L. 50. §. 1. L. 52. §. 19. ff. b. t. Si jam determinatus, aliquis erat ad furandum, tunc consulens non ordinaria furti, sed extraordinaria poena punitur. Similiter poena extraordinaria, & mitiori puniuntur recipientes, & occultantes scienter furem, cum rebus furtivis. L. 48. §. 1. ff. b. t. Etiam rei furti fiunt, qui rem furtivam scienter à fure emunt; arg. L. 2. C. h. t. vel eam in solutum accipientes; arg. L. 3. ff. Pro emptor. Qui verò ignoranter furem, vel rem furtivam recipiunt, vel eandem emunt à fure furti non tenentur. Sciens ubi est res furtiva, si quarente possessore, non indicat, actione furti concepti, aut non exhibiti tenetur, §. 4. Inst. de Obligat. quæ ex delict. cap. 4. b. t. Non tamen tenetur, quis furem detegere, quin rectius supprimitur, si ejus supplicium grave timeatur, cap. 14. 22. q. 2. nisi urgente superioris præcepto, vel charitate proximi, qui aliter rem ablatam recuperare nequeat. Similiter furem indicare tenetur, ille qui ex justitia, & officio publico crimina debet impedire. L. 48. §. 1. ff. b. t.

212 Qui extrema necessitate laborat: quando, scilicet, imminet moraliter periculum vitæ, vel membri, vel morbi incurabilis, non solum potest auferre commestibilia aliena, sed etiam pecuniam, vel alienam quamcumque rem, etiam Domino invito, quin per hoc, tanquam fur habeatur, siquidem necessitas, natura sic dictante, cui jus humanum nequit resistere, facit illas res communes, ac proinde res ablata in necessitate desinit esse aliena, cap. 26. de Consec. D. 5. ibi: *Discipulus cum per segetes transeundo vellerent spicas, & ederent, ipsius Christi voce innocentes vocat: quia coacti fame hoc fecerunt.* Et quamvis dicatur in cap. 3. h. t. *Quod si quis pro necessitate furatus fuerit cibaria, vel vestem, vel pecus per famem, aut per nuditatem, penitentia hebdomadas tres.* Debet intelligi, vel quia necessitas non erat adeo gravis, ut à peccato excusaret, vel quatenus hac penitentia non tam pro culpa, quam pro culpa suspensio imponebatur. *Mendoza in Concil. Illyber. L. 2. cap. 15. Gonz. in cap. 3. h. t. n. 5.* Non solum potest ille, qui re indiget eam in extrema necessitate subripere, sed alius, qui de suo non habeat potest etiam aliquid subripere, ad eam sublevandum: quia tunc subripit nomine indigentis, velut ejus procurator. Non tamen licet accipere sibi, etiam in extrema necessitate rem alterius, qui

æqualem patitur necessitatem: quia in necessitate aequali melior est conditio possidentis. L. 154. ff. de Reg. jur. cap. 65. eod. in 6. Si quis justè sit condemnatus, ut fame pereat probabile est, non posse subripere necessaria ad conservandam vitam, quamvis extremè indigeat: nam suo delicto, & justa sententia videtur jus amisisse ad vitam hoc modo conservandam. *Laer. L. 3. p. 1. n. 954.* Si quis tamen constitutus in necessitate communi, seu triviali, qua pauperes, & mendici laborant, aliquid auferat Domino invito, certè furtum committit: quia nec res communes facit talis necessitas, nec tribuit jus, in re aliena, cap. 3. h. t. Imò idem dicendum est de necessitate gravi: quando scilicet, imminet periculum aliqujus mali gravis: v. g. Captivitatis, jacturæ bonorum, aut status: quia nobilissimi, v. g. nequeat juxta sui status conditionem vivere, sed famulari obligetur vel vir honestus mendicare teneatur, ut constat ex propositione damnata ab Innocentio XI. qua est 36. *Permissum est furare non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Nisi talis necessitas gravis sit quasi extrema; v. g. Si periculum moraliter certum notabiliter vitæ abbrevianda immineret, vel gravis morbi, vel calamitatis, aut gravissimi dedecoris: tunc enim omnia bona restituntur ad eorum pristinum statum; in quo erant communia ante divisionem, Jure Gentium factam: justa illud: *Communemque prius seu lumina Solis, & Auræ cæcis humani longo signavit limite mensur.* Quæ quidem divisio præjudicare nequit Juri Naturali, quo quis sibi prius prospicere debet. *D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 7. Leti. de Just. & jur. lib. 2. cap. 12. n. 71.* si ipse postea locupletior sit factus, tenetur rem in extrema necessitate acceptam restituere, si extet in specie. Si verò accepit, & consumpsit rem usu consumptibilem, etiam postquam necessitas transiit, non tenetur restituere: ne quidem ex acceptatione injusta, cum justè fuisset recepta, tempore scilicet, quo cessante divisione Juris Gentium, bona erant communia: nec ex re accepta, cum res sit bona fide consumpta: neque ex contractu, quia nullus contractus celebratus fuit: & nulla alia radix talis obligationis excogitari potest. *Sylo. V. Furtum. q. 5. n. 10. Azor, Tamb. Barb. in cap. 3. h. t. n. 3. contra Navar. in Man. cap. 17. n. 6. Covar. & alios.*

213 Debitum (si hoc sit sine con-

troversia, & liquidum) quod non potest alia via creditor à debitore obtinere, potest ipse creditor occultè accipere ab ipso debitore: sed debet consuli debitoris saluti spirituali, & commodo temporali, ei significando nihil amplius ab ipso deberi. *Nav. in Man. cap. 17. n. 112. Sylo. V. Furtum. q. 13. Molin. de Just. tr. 2. D. 691.* Quando verò debitum est incertum, compensatio occultata est illicita: quia tunc melior est possidentis conditio. Hinc *Innoc. XI.* hanc propositionem damnavit, quæ est 37. *Famuli, & famula domestica possunt occultè suis baris subripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Siquidem standum est conventioni factæ inter ipsos, vel si famulus credat majus stipendium sibi deberi, debet coram Judice comparere, & non fieri Judex in causa propria.

214 Furtum dividitur (omissis aliis divisionibus) 1. in manifestum, & non manifestum. Manifestum est, quando fur deprehenditur, sive à Domino, sive ab alio in ipso furandi actu, vel in loco, sive publico, sive privato, in quo factum est furtum: vel extra locum furti, si adhuc res furtiva non est allata ad locum, ad quem fur destinaverat perferre. Hujus furti poena erat quadrupli. Furtum non manifestum est quando fur in ipso furandi actu non est deprehensus cum re furtiva, vel etiamsi deprehensus cum ea fuerit, jam est in loco, ad quem perferre destinaverat. Et ejus poena erat dupli, §. 3. Inst. de Oblig. quæ ex delict. L. 3. L. 5. ff. b. t. L. 2. tit. 14. p. 7. Sed hodie hæc differentia est ablata, siquidem in locum poenæ pecuniariæ dupli, vel quadrupli poena corporalis est subrogata. 2. Dividitur in Diurnum, quod scilicet, diu, & Nocturnum, quod scilicet, noctu fit. Furtum nocturnum potest quis impunè occidere, secus diurnum, cap. 3. de Homic. 3. Furtum simplex est, quod nulla alia circumstantia aggravante est affectum. Qualificatum, quod circumstantiam aggravantem vis, effractionis, vel violentiæ seditiosæ, & cum armis habet annexam. Pro veritate autem circumstantiarum, quæ furto adjunguntur, hoc varia nomina sumit, & variis poenis punitur. Furtum ergo erit sacrilegium, quando res sacra contractatur, vel quia res sacra è loco sacro, vel res sacra de non sacro, vel res non sacra de sacro auferatur, cap. 21. 17. q. 4. Sed res non sacra aliquomodo ad Ecclesiam, saltem quoad custodiam debet pertinere: si verò ibi casu inventa, vel

posita sit, non erit sacrilegium eam subripere. *Azor, p. 1. L. 9. cap. 27. q. 6. Leti. de Just. & jur. L. 2. cap. 45. n. 14.* Erit Peculatus, quando subripitur pecunia publica, vel res sacra, vel religiosa, vel alia res pertinens ad Statum Principis, vel Reipublicæ non recognoscentis Superiorem. L. 9. §. 2. ff. ad Leg. Jul. Pecul. §. 9. Inst. de Public. Leg. Ubi dicitur, quod si Judices tempore administrationis publicas pecunias subtraxerint Capitali animadversione puniuntur, & non solum hi, sed etiam qui ministerium suum ad hoc exhibuerint, vel qui subtraxerint ab his scientes susceperint. Alii verò, qui in hanc Legem incidere poenæ deprecationis subjiciuntur. Etiam poena capitali, & confiscatione omnium bonorum puniuntur Regii Officiales in Indiis, si aliquid subripiunt ex Arcis Regis ipsorum custodia commissis. *Solorz. Polit. Ind. lib. 6. cap. 15. Escalona Gazof. Reg. Per. lib. 1. p. 2. cap. 7. n. 8.* Erit Crimen de resianis, si furtum committitur ab eo, cujus fidei, & periculo pecunia publica concedita est, si eam in usum proprium convertat, vel saltem si non convertat in usum destinatum, sed eam retineat. L. 9. §. 6. ff. ad Leg. Jul. Pecul. *Molin. de Just. trat. 2. D. 684. n. 5.* Qui hoc crimen committit in nostra Hispania ultra restitutionem rei, debet ut poenam solvere triplum. L. 14. tit. 14. p. 7. Regii Officiales, qui Regia pecunia negotiantur, ipso facto incurunt confiscationem omnium bonorum: perpetuam officii privationem, & insuper exilium per decennium ab omnibus Regnis Indiarum. L. 45. tit. 4. lib. 8. R. Ind. Crimen sepulchri violati committitur, quando quis dolo demolitur sepulchri structuram, vel marmora, vel imagines furatur. Etiam committitur hoc crimen adificium non sepulchri causa, ibi extruendo, vel illegitimè inferendo cadaver, vel cadaver ibi sepultum extrahendo, vel illud mutilando, vel illius vestes auferendo. L. 3. §. 6. ff. de Sepulchri violat. L. 2. L. 4. L. 5. C. eod.

215 Etiam furtum dicitur terminum amotio; quando, scilicet, quis dolo auferat, aut mutat terminos, seu lapides finales, Hispanè: *Mojones*, vel ut sibi adjiciat, quod de fundo detrahit alieno, vel præcisè, ut noceat, etiam sine commodo proprio. L. 1. L. 2. L. 3. ff. de Terminum. In nostra Hispania limites amovens amittit jus, si quod habebat in illo prædico, quod sibi ex commutatione acqui-

tere intendit: quod si jus nullum habeat, restituet duplum, & pro quolibet termino moto quinquaginta aureos Regi solvet, ut Lege Agraria olim fuit stabilitum. Eadem est poena, si termini Civitatum, vel Oppidorum mutantur, seu evellantur. *L. fin. tit. 14. p. 7. & ibid. Greg. Lop. Plagium* est, quando quis hominem, præcipuè liberum, etiam Patrem familias clam abducit animo celandi, detinet in vinculis, occultat, vendit, vel emit, vel aliter alienat. *L. 6. §. fin. ff. ad Leg. Fabiam, de Plagiar.* Vel qui servum alienum scienter alienat, vel emit, vel si servum fugitivum cum rebus furto ablati scienter recipiat, vel si ipsi servo persuadeat, ut fugiat à Domino, vel illum invito Domino occultat, vel in vinculis retinet. *L. 6. §. fin. ff. ad L. Fabiam, de Plagiar.* ejus poena erat Capitalis. *L. 1. ff. ad Leg. Fabiam, de Plagiar.* Similiter plagium in Lege Veteri morte puniebatur. *Exod. 21. v. 16. ibi: Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum convictus noxæ morte moriatur:* quod est transcriptum in *cap. 1. b. t.* In nostra Hispania hoc crimen punitur in Nobili damnatione perpetua ad Regis opera, in plebejo poena capitis. *Leg. 22. tit. 14. p. 7. Abigatus* est deprædari pecora ex pascuis, vel jumentis, vel armentis. *L. 1. §. 1. ff. de Abigeis.* Qui hoc crimen committit *Abigeus*, seu *abactor* dicitur, Hispanè: *Ladron quatrero*: quamvis *D. Franciscus Sobrinus in Diction. Hispano Gallico*, hoc nomen *quatrero* restringat ad fures equorum. *Voleur de Chevaux.* Ut quis *Abigeus* dicatur, non sufficit, si ex minoribus unum animal subripiat, nisi forte ter, vel sæpius, quasi artem exercens, unum abigat, sed est necesse, quod gregem ovium caprarum, porcorum, vel baccharum subripiat, grex censeatur abactus, quando decem ad minus oves, vel quinque, aut quatuor porci, vel animal unum, saltem ex majoribus; v. g. equus, vel mulus, vel bos ex pascuis, vel ex stabulo abducitur. *L. fin. ff. de Abigeis. Molin. de Just. trat. 2. D. 684. n. 6. Gom. Var. 3. cap. 5. n. 13.* Crimen *expilatae hereditatis* est, quando quis extraneus, qui non fit coheres, vel heredis uxor, subripit aliquam rem mobilem ante aditam, vel post aditam hereditatem, nondum tamen possessam ab herede. *L. 2. §. 1. Leg. 5. ff. de Expilat. hered.* Contra coheredem aliquid ex hereditate jacente usurpantem datur actio *familie eriscundæ*. *L. 3. C. Famil. erisc.* Contra uxorem ex ipsa

hereditate aliquid subripientem, si res ablata extet, datur vindictio, si non extet, datur conditio ex Lege. In nostra Hispania hoc crimen committens tenetur rem ablata cum fructibus perceptis restituere, & si est Nobilis in Insulam relegatur ad tempus, vel alia poena Judicis arbitrio punitur: si verò plebejus sit, damnatur ad Regis opera pro tempore assignando à Judice. *L. 21. tit. 14. p. 7. Furtum tigni* dicitur, quando quis subripit materiam alieni ædificii, ut suo jungat ædificio; v. g. lapidem, columnas, regulas, & alia, quæ nomine tigni comprehenduntur. *L. 1. ff. de Tigno injunct.* Quod si ligna subripiens suæ domui affligit, tenetur ad duplum astimationis: non verò obligatur restituere ligna jam affixa: tenebitur tamen ea restituere, si nondum sunt affixa. Et insuper poena furti tenetur. *L. 15. tit. 14. p. 7. Actio arborum furtim casarum* competit ex Prætoris Edicto contra eum, qui arbores, vires, virgularas, &c. furtim cadit. *L. 1. & per tot. ff. de Arbor. furt. casar.* Tandem specialis actio datur adversus subripientem res ex naufragio, vel incendio liberatas. *L. 4. ff. de Incend.*

216 Furtum non solum Jure Humano, sed etiam Naturali, & Divino prohibitum est. Nam ipsa natura prohibet, quod quis cum alterius jactura locupletetur. *L. 14. ff. de Condict. indebit. cap. 48. de Reg. jur. in 6.* Lex enim natura jubet, honestè vivere, alterum non ledere, & jus suum unicuique tribuere, §. 2. *Inst. de Just. & jur.* Item Jure Divino prohibetur in 7. Decalogi præcepto. *Exod. 20. v. 14. Deuter. 5. v. 18. Matth. 19. v. 18. ibi: Non facies furtum.* Nam ut ait *R. Noster Alphonsus in Proem. tit. 14. p. 7. Furtar lo ageno es mal feiria, que es defendida à los homes por ley, ó por derecho, que lo non fagan.* Furtum ergo est peccatum, & quidem grave, si materia gravis est; leve verò, si parva sit materia furti. Quantitas furti non mathematicè, sed moralitèr metienda est, non tantum ex rei ablata valore, sed etiam ex circumstantiis. Sic erit grave peccatum auferre rem parvam, suo Domino valde necessariam, & proficuum; v. g. acum sartori, si aliam non possit habere ad se alendum. E contra verò, si Dominus sit valde Dives, vel Princeps, major quantitas requiritur ad peccatum grave, quam si mediocriter Dives sit. Similiter plus requiritur in rebus, quæ ultrò proveniunt, & sunt valde dispositæ; v. g. fructus

fructus ad viam publicam. Idem est, quando à diversis, vel ab uno interpolatum parva, & plura subripiuntur. Etiam plus requiritur, quando furtum fit ab uxore, vel filiofamilias, vel servis, vel aliis domesticis cum Dominus, pater, vel maritus, vel non est absolute invitatus, vel tantum invitatus est ratione modi, non verò ratione rei ablata. Et pro regula in communi tenendum est, præcédendo à circumstantiis minuendis, vel aggravantibus in casu speciali quod materia gravis furtis regulariter est valor requisitus ad sustentationem pro uno die congruam respectu illius, cui auferitur: quia tunc ipsi grave damnum fieri censetur. *Lacr. L. 3. p. 2. n. 985. & seqq.* Et licet parva sint furta cum perverntum sit ad magnam quantitatem, erit peccatum grave, ut constat ex propositionem damnata ab *Innoc. XI.* quæ est 38. *Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* Ex duplici ergo radice obligat Jus Naturale furem, etiam in conscientia, & ante omnem omnino sententiam, ad rem furtivam restituendam. 1. Ex re accepta. 2. Ex injusta acceptione. Si enim res furtiva perit, vel in alium est translata, quin fur sit ditior factus, restituere tenetur ex injusta acceptione. Si verò res furtiva, vel in se, vel in æquivalenti sit apud furem: hic ex duplici capite tenetur: ex re, scilicet, accepta, & ex acceptione injusta. Similiter possidens mala fide rem furtivam, ex hoc duplici capite tenetur. Si verò bona fide possideat, ex re accepta tenetur restituere, etiamsi emisset rem in publicis nundinis, & etiamsi venditor nolit pretium rei refundere. *L. 2. C. h. t. imò etiamsi ipse sit protestatus eam emere, ut Domino restituat: nisi forte medico emisset pretio, cap. 5. 14. q. 5. Menoch. de Præsumpt. L. 5. præsumpt. 29.* Tenetur ergo quis rem alienam restituere: quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, *cap. 4. de Reg. jur. in 6.* Si verò non possit quis restituere, quia non habeat unde restituat, pro tunc non tenetur: quia nemo potest ad impossibile obligari. *L. 185. ff. de Reg. jur. cap. 6. eod. in 6.* sed suspenditur obligatio, quousque fur ad pinguiorem pervenerit fortunam. Ad restitutionem tenentur omnes illi, qui quomodo fuerunt causa efficax damni secuti. Et illi, qui ex obligatione justitiæ, & ex officio, quod gerunt tenentur

damnum cavere, si non caventur, ut Princeps, Magistratus, belli Dux, Custodes Montium, Vinearum, Agrotorum, &c. Hinc *Innoc. XI.* hanc propositionem damnavit, quæ est 39. *Qui aliam inveniunt, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.* Et sic concurrentes his versiculis comprehenduntur.

Jussio, Consilium, consensus, palpo, rectorius,

Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Quod latius explicatur à *Lacr. L. 3. p. 2. ex n. 20. & aliis Moralisticis.*

217 In nostra Hispania, quando ignoratur Dominus, cui debeat fieri restitutio: facta tamen sufficienti diligentia, sive res sit ablata, sive male adquisita ex usuris, ludo, turpi questu, vel male utendo officio, arte, judicatura, tabellionatu, &c. potest compositio virtute Bullæ Cruciatæ fieri, ut constat ex quadam ejus clausula: *De qualesquier bienes, y hacienda mal habida, y mal ganada, y adquirida, de que fueren á cargo, no sabiendo los dueños á quien se pueda, y deba legitimamente restituir.* Et possunt in quolibet anno quinquaginta Bullæ accipi, & per quamlibet Bullam componuntur quinquaginta argentei, & 28. marapetini, ac proinde per 50. Bullas potest componi quantitas duorum millium nongentorum, quadraginta, & unius argenteorum cum sex marapetinis. Quod si major quantitas componenda sit, debet ad Commissarium recurri, ut compositio fiat, siquidem in quolibet anno solum possunt accipi 50. Bullæ. Pro qualibet Bulla datur elemosyna duorum argenteorum. Sed si compositio fiat de bonis, quæ pro omissione Divini Officii debentur, erogandi sunt, & duo alii argentei ad fabricam ejus Ecclesiæ, in qua beneficium habet Clericus, qui omisit officium. In Indiis per quamlibet Bullam potest componi summa triginta ducatorum. Et solum possunt accipi 30. Bullæ: ac proinde solum 900. ducatorum summa potest componi in quolibet anno, quæ summa continet 1237. pesos, y 4. tomines. Nam qualibet Bulla continet 41. pesos, y dos tomines: quæ summa correspondet à 30. ducados de Castilla, á once reales ducado. Pro qualibet Bulla datur elemosyna 12. regalium. Quod si major sit quantitas componenda ad subdelegatum Cruciatæ recurrendum est, ut compositio fiat, & solet decima pars summæ componenda

peti, debetque in subsidium Cruciate applicari. Latè de his *P. Mendo, Alloza, & alii*. Bulla autem non prodest eis, qui in fiducia Bullæ bona aliena usurparunt, ita ut quis non usurpasset bona, si non speraret, se compositionem usurum: bene verò prodest illis, qui cum fiducia Bullæ talia bona usurparunt, hoc est, quod semper aliquis erat ea ablaturus, quamvis solamen haberet, eo quod per Bullam erat ablata compositurus, si post compositionem factam compareat Dominus bonorum, de quibus quis fecit compositionem, nihilominus bonorum Dominus potest illa coram Judice petere, & Judex tenetur alterum ad restitutionem condemnare: siquidem compositio tantum valet pro foro interno.

218 In foro externo variæ ex furto resultant actiones. Aliæ enim sunt rei persecutoriæ, ut rei vindicatio, & conditio furtiva: aliæ actiones pœnales, ut actio furti, & accusatio criminalis. Rei vindicatio competit Domino rei furto ablata adversus quemcumque illius possessorem, etiam si non sit fur, sed etsi bona fide emisset: nam est actio realis quæ rem, ubicumque sit, etiam pretio non refuso, vindicat Domino suo. *L. 3. L. 23. C. de Rei vind.* atque ad eòs res furtiva à Judice apud furem reperta non fisco, sed Domino, si certus est, debet restituere sine diminutione non obstante contraria consuetudine. *Conditio furtiva*, est actio civilis, personalis, & perpetua, extraordinaria tamen, qua petitur res ipsa, si extet, & dicitur *conditio certi*, vel petitur interesse rei, si non extat res, vel illius possessio, vel usus, & dicitur *conditio incerti*. Actio furti est pure pœnalis, quia tantum ad pœnam, non ad rei persecutionem tendit. Præterea est personalis, perpetua, & famosa. Et si ex furto manifesto consurgat est Prætoria, & in quadruplum datur, si ex non manifesto oriatur est civilis, & in duplum datur. *§. 5. & fin. Inst. de Obligat. qua est delicti. §. 18. Inst. de Action. L. 18. tit. 14. p. 7.* Competitque Domino rei ablata, & alii, quorum interest, rem ablatam non esse. *L. 10. L. 11. ff. h. t.* Datur contra furem, etiam contra impuberem doli capacem, & contra ei cooperantes auxilio, vel consilio, ut si quis tibi numos excussit, ut alius reparet, aut tibi obstiterit, ut alius rem tuam exciperet, aut oves tuas, vel boves fugaverit, ut alius eas exciperet, & hoc Veteres scripserunt de eo, qui panno, ru-

bro fugavit armentum; vel qui scalas fenestris supponit, aut ipsas fenestras, vel ostium effringit, ut alius furtum faceret, quivè ferramenta ad effringendum, aut scalas, ut fenestris supponeretur, commodaverit, sciens, cujus rei gratia commodaverit. *§. 11. Inst. de Oblig. que est delicti.* & quidem si plures sint, contra singulos insolvidum datur: nec unius solutione ceteri liberantur. *L. 21. §. 9. ff. h. t.* Sicut liberantur quando unius condicione furtiva conventus, solidum solvit: nam conditio furtiva est rei persecutoria, quæ cessat, si id, quod abest, restituatur: nam bis idem peti non valet. *L. 57. ff. de Reg. jur.* Actio verò furti est pœnalis ligans omnes, qui delictum commissurunt, & quidem etiam re furtiva extincta permanet furti actio adversus furem. *L. 46. ff. h. t.* Sed cum hæc actio sit pœnalis non datur contra furis hæredes, nisi jam cum defuncto lis contestata sit. *§. 1. Inst. de Perpet. & tempor. L. 1. ff. de Privat. delicti.* Hæc actio dicitur famosa: quia ea conventus, etiam tantum civiliter, & ad pœnam dupli, vel quadrupli; v. g. condemnatus, saltem, quando furtum est aliquantum notabile, fit infamis. *L. 4. §. fin. ff. de Hæ. qui notant.*

219 Etiam contra furem datur actio criminalis, ut ipsi infligantur pœnæ à jure statuta, quæ etiam locum habent, & si per viam Inquisitionis procedatur, & quidem de Jure Canonico fur notorius notorietate facti, vel si actione furti, & quidem pœnali, & famosa (secus si condicione furtiva) conventus, & condemnatus sit, fit infamis, *cap. 17. 6. q. 1. & consequenter irregularis, cap. 5. D. 51. cap. 8. de Reg. jur. in 6. Diaz. Prax. Crim. Canon. cap. 94. n. 2.* Si furtum occultum sit, nec infamia, nec irregularitas incurritur. Si Clericus sit deprehensus, vel convictus de furto magno, vel iterato deponendus est ab ordine, & officio Clericali, *cap. 12. D. 81.* Quod si adhuc non respiscat, debet excommunicari. Si tandem incorrigibilis sit tradi debet brachio sæculari, *cap. 10. de Judic. Episcopi*, vel eorum Vicarii ad instantiam partis læsæ solent concedere litteras monitorias generales, sub excommunicatione contra eos, qui rem alienam, non quidem modicam, injustè retinent, ut eam restituant: & adversus scientes, rem ab alio detineri, ut revelent: quod si non faciant, excommunicationem ipso facto incurrant; *arg. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 3.*

Jure Civili variis pœnis furtum puniebatur pro ejus circumstantiis, sed non extendebatur ad mortem. *Auth. sed novo C. de Serv. fugit. ibi: Sed pro furto nec morietur, nec aliquid membrum abscindatur, sed aliter castigabitur.* In *L. 18. tit. 14. p. 7.* dicitur quod fur flagelletur, sed non occidatur, nec mutilletur, nisi publicus latro sit, vel pyrata, aut per vim cum armis deprædetur in aliena domo, vel loco: vel nisi in Ecclesia, vel loco Religioso furetur, rem sanctam, aut sacram: vel si Officiales Regis furentur aliquid de pecuniis, vel rebus sibi commissis, vel si Judex, durante officio, aliquid furetur de pecunia Regis, vel communitatis. Isti enim occidentur, & eis dantes consilium, vel auxilium, vel eos celantes. Si tamen Rex, vel communitas tale frutum Officialis non petat infra quinquennium, postea non punietur corporaliter sed tantum pœna quadrupli. Sed quamvis de jure scripto non possit quis pro furto simplici morte puniri, tamen jam generali consuetudine servatur quod saltem pro tertio furto, dum res non sit parvi momenti, possit fur puniri morte, & sua causa suspendi. *Vid. Greg. Lop. in L. 17. tit. 14. p. 7. V. Matar.* Et etiam sunt videnda. *L. 7. L. 9. tit. 11. L. 8. R. C. L. 4. tit. 23. L. 8. R. C.* Pro coronide tamen hujus materiæ venit explicandus difficilis *Text. in c. 2. h. t. ibi: Fures, & Latrones, si in furando, & deprædando occidantur, visum est pro eis non esse orandum. Sed si comprehensi, aut vulnerati Presbytero, vel Diacono confessi fuerit, communionem eis non negamus.* Quod intellige, non quatenus Latrones possint peccata sacramentaliter confiteri Diacono, ut ab eo absolutionem accipiant, sed quatenus in præsentis specie Sacerdos, vel Diaconus tanquam testes signorum poenitentia adfuerint, ut sie possint Latrones, ad communionem Ecclesie admitti, & Ecclesie possit pro illis orare, & sacrificium offerre.

TIT. XIX.

De Usuris.

220 **U**suræ, quæ sic ab usu dicitur, aliquando significat quodlibet lucrum, seu fructum ex rei usu resultantem. Sic *Matth. 25. v. 37. & Luc. 19. v. 23.* ait Christus Dominus: *Quare non dedisti pecuniam meam ad men-*

Tom. II.

tam, & ego cum usuris exegissem eam. Sed in præsentis sumitur 1. pro lucro resultante ex mutuo ultra sortem principalem. 2. Pro contractu, quo convenitur de hæc lucro. *c. 2. c. fin. 14. q. 3.* Si enim Titius Sempronio mutuavit centum aureos, vel centum cados vini ea condicione, ut singulis annis, donec eosdem restituta, reddat quasi ex justitia decem aureos, vel cados vini, ita ut uno, vel pluribus annis elapsis, adhuc restituere debeat eos centum aureos, vel cados vini (quæ summa dicitur capitale; seu sors principalis) & insuper debeat decem aureos, vel aliam rem pretio astimabile singulis annis dare, tunc committitur usura: quidquid enim ultra sortem principalem in mutuo datur, dicitur usura, fœnus, & lucrum. Si non interveniat mutuum, saltem virtuale, non datur usura. Hinc usurarius non est, qui certò pretio petito alteri suam pecuniam concedit ad pompam, & ostentationem: quia hic non mutuatur pecunia cum dominio ejus non transferat, sed locat. Et in contractu locationis, & conductionis justè potest pretium, vel merces à locante peti. Qui verò à depositario pro usu pecuniæ depositæ apud ipsam aliquid petit usurarius est: nam exigit aliquid ultra sortem pro concessione, quæ verè mutuum est. Idem est, si quis vendat aliquam rem ex pacto: ut eadem sibi restituat, aliquid recipiendo ultra sortem *c. 4. de Pignor.*

221 **M**utuum sic dictum, quod ex mutuo tuum fiat, est contractus Juris Gentium, re perficitur, nominatus unilateralis, & stricti juris, quo res fungibilis, seu consistens in pondere, numero, & mensura in alium transfertur ex Lege, ut res ejusdem generis, quantitatis, & qualitatis restituatur. *L. 2. ff. de Rebus Credit. princ. Inst. quib. modis re contrahitur oblig.* Res mutuata debet reddi in eadem specie, mensura, ac vanitate; v. g. si decem scaphæ tritici fuerint mutuata decem reddenda sunt, & si præteritum postea creverit, si mutuans nihil circa augmentum, vel diminutionem pretii prævidit. *L. 22. ff. de Reb. cred.* si tamen mutuans prævidit, pretium minuendum esse cum ejus damno sufficit si triticum in eadem mensura reddatur. Si prævidit, pretium augendum esse sufficit, si mutuarius reddat triticum in eà mensura, ut aquet pretium accepti, licet si minor, quam mensura accepta, siquidem mutuans prævidit pretii aug-

Kk men-